

1632

R M K III.  
1488



R. M. K. III.  
1488

Teijs

eyes beulci si raelele



Aristoteles



Plato



PER VIRTUTEM.

PHILOSOPHIA  
DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA  
DE

# ODIO SUBDITI TORUM ADVERSUS PRINCIPEM,

QUAM  
SEMPITERNI NUMINIS ADSPI-  
rante Gratia, in florentissima Univer-  
sitate Argentoratensi,  
PRÆSIDE

Clarissimo & Excellentissimo Viro  
DN. MATTHIA BERNEGGERO  
HISTOR. PROFESSORE CELEBER-  
RIMO, FAUCTORE & PRÆCEPTORE suo  
perpetuo observantia cultu pro-  
sequendo.



Ad d. Septembr.  
Examini publico submittes.

AUCTOR  
MICHAEL JOANNES MOSLEHNER  
Schemniczio Ungarus.


ARGENTORATI  
Typis JOHANNIS REPPI,  
Anno M. DC. XXXII.



AD HONOREM.

TENDIT  
AD  
ARDUA  
VIRTUS.

Collegium  
Argentianse.



MORTA  
LIBVS  
DOCTRI  
NA HONO  
RI EST  
OMNIB.



Damascenus, citante Grutero discursuum ad C. Cornel. Tacit. XIX. fin.

*Qui magnam potentiam nactus est, eum à quo huiusmodi accepit, pro viribus imitari debet. Hac porro in re Deum maximè imitabitur, si misericordià nihil potius antiquiusque habuerit. Huc accedit, quod subditos nihil aequè ad benevolentiam allicit, ut beneficii gratia egentibus concessa. Nam obsequium illud quod ex metu oritur, adumbrata est adulatio per fictum honoris vocabulū eos qui animum ipsi adjiciunt ludificans, ac circumscribens. Atq; is qui invito animo paret, oblata occasione seditionem excitat. Qui autem benevolentia vinculis constrictus tenetur, firmam ei, qui rerum potitur, obedientiam præstat, &c.*



VIRI  
GENEROSI ET  
NOBILISSIMI,

- D<sup>N</sup>. GEORGIO HADRITIO, Illustriss. Domini Comitis Palatini Inclty Regni Hungariæ Protonotario eminentissimo, &c. Patruo suo demissè colendo;
- D<sup>N</sup>. STEPHANO MOSLEHNERO, Sacr. Cæs. Regiæque Majestatis Administro in Camera Novizolien. &c. Parenti suo devota mente æternū venerando;

NEC NON

*Adm. Rever. Clarissimis & Excellentissimis*

- D<sup>N</sup>. JOANNI PINNERIO, Ecclesiæ Novizolien. Pastori vigilantissimo, Scholarchæ dignissimo: Affini & Evergetæ suo plurimū honorando;
- D<sup>N</sup>. JOANNI DUCHONI, Scholæ ibidem Rectori laudatissimo, &c. Fautori ac Præceptori suo jugiter suscipiendo.

*Salutem, & perennem felicitatem!*



QUUM primū Dissertationis hujus elaborandę consiliū suscepam, Patroni & Fautores

);( 2

ævi-



EPISTOLA

Leviternum honorandi, cum rei difficultas non nisi abditis prudentiæ artibus munitissimo tentanda me absterrebat; tum virium mearum imbecillitas, à qua nihil exasciatum aut publicæ lucis usurâ dignum pro manare posset, ancipitem cogitandi curam adferebat. Discussit tamen illud omne, quod fortassis pilum conatui injicere valuisset, & spei vestræ, quam de me concepistis, & benevolentia, quâ me semper comprehendere dignati estis, recordatio. Ac illa quidem specimen aliquod non perditæ hæctenus in optimarum artium studii operæ meritò exegit; hæc verò ardentem in animo meo accendit aviditatem vel millesimam partem obligationum exsolvendi, quibus me liberaliter involvistis. Etenim favoris Tui, *Generose Domine HADRITI*, erga me fratremque meum sine exemplo maximi significatione refertæ sunt omnes, præter quas tempora hæc peregrè absentibus

DEDICATORIA.

tibus iniquissima inviderunt, Parentis mei sanctè venerandi epistolæ: quem si quando jugi erga G. T. D. observantiâ perpetuum reddere licuerit, non alio nomine magis felicitati meæ gratulabor. Tuus verò amor, *Nobilissime Domine PATER*, Tua munificentia, quam in me cumulasti, ita omnem excedit modum, ut eam nec cogitatione assequi possim. Non conten use enim, (id quod ultimo hoc & in pessima quæque præcipiti sculo multis parentibus familiare est) dias in luminis oras me edidisse, omnibusque necessariis corpus circumdedisse, manibus pedibusque in id incubuisti semper, ut animus etiam literarum virtutumque præceptis diligenter excoleretur & informaretur. Et quoniam multâ curâ fata perducuntur ad segetem, nihilque in fructum pervenit, quod non à primo usque ad extremum æqualis cultura prosequitur, irrita existimasti beneficia si in infantia deferren-



EPISTOLA

rerentur, ac ob id longam pietatem ad hoc usque momentum munus suum nutrire voluisti. Sed nec vestra erga me munera, *Adm. Reverende Dn. PINNERI, & Clariss. Dn. DVCHON,* silentio involvenda sunt. Vos enim saluberrimis consiliis pueritiam, dein juventam meam fovistis, in docendo & labore & tedium tulistis præter illa quæ præcipientibus in commune dicuntur, semper aliqua instillastis & tradidistis, hortando bonam indolem crexistis, & modò laudibus fecistis animum, modò admonitionibus discussistis desidiam. Tum si qua in parte lubricum adolescentiæ declinavit, revocastis: nec quæ sciebatis malignè dispensastis, sed cupivistis, si possetis universa transfundere.

Pro quibus omnibus, & aliis infinitis, erga me beneficiis, Patroni magnificentissimi, quod vobis exhibeam *divitibus*, equidem non invenio. Tametsi enim diebus noctibusque me lacebam, &

cun-

DÉDICATORIA.

cunctis aliis renunciem officiis, huic uni imminens & operatus, ne qua me fugiat gratiæ referendæ occasio; nihil tamen impetro præter necessitatem cōfessorix vocis publicitus emittendæ, eam esse benignitatis vestræ amplitudinem, ut ei, non grata redhibitione agnoscendæ, aut justa prædicatione celebrandæ; sed vel recensendæ imparem me fateri cogar: nisi quod tantum nihilominus æquanimitati vestræ confidam, ut persuasissimus sim, vos abundè gratiam relatum fore interpretaturos, si meritorum vestrorum gloriam memori mente conservavero, & nunquam à redhostiendi cura recessero. Quod me conaturum ne dubitetis, Dissertatiunculam hancce obsidem, & simul primæ quasi pensionis solutionem, habete. Eam ut hilari fronte recipiatis, & mihi, vestrarum virtutum admiratori cultori-que perpetuo, deinceps quoque faveatis, quanto possum opere, qua par est summisione, oro.

Tan--




EPIST. DEDICAT.

Tandem Divinae Majestatis genibus supplex affundor, ut Ecclesiae, Reipubl. meoque bono quam longissime ævum vestrum extendat, vosque omni maximarum suarum benedictionum genere cumulatōs præstet! Per scriptum Argentorati prid. Calend. Septembr. Anno M. DC. XXXII.

G. N. R. & C. V. D.

Observantissimus

Michaël-Joannes Moslehner.



P R O O E M I U M.



**A**MOREM & ODIUM principes esse affectus nemo nescit; quorum alter ut omnium societatum, ita illius imprimis, quæ à arctissima instar cathena de vincti sumus qui imperamur cum imperante, firmamentum est & stabilimentum; alter vero pestis præsentissima maximèque noxia. Et illius quidem ditissimum utilitatum penus asserunt omnes sapientis antiquitatis proceres, nullus vero eadem copiâ atque Stoicorum prudentissimus Seneca. Egregius præ aliis locus extat lib. I. de Clem. c. 19. Non opus est instruere in altum editas arces, nec in adscensum arduos colles emunire; saluum Regem in aperto clementia præstabit. Unum est in expugnabile munimentum AMOR CIVIUM. Quid pulchrius est, quàm vivere optantibus cunctis, & vota non sub custode nuncupantibus? Si paullum valetudo ritubavit non spem hominum excitari, sed metum? nihil esse cuiquam tam pretiosum, quod non pro salute præsidis sui commutatum velit? omne quod illi contingit, sibi quoque evenire deputet? Quis huic audeat struere aliquod periculum? quis non ab hoc si possit, fortunam quoque avertere velit?

Totidem ferè verbis ineffabile hoc bonum amoris Subditorum erga Principem extollit Plinius in Panegyri. ad omnis memoria clarissimum Imp. Trajanum scripto: Te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes, agri quoque neglecto medentium imperio ad conspectum Tui, quasi ad Salutem sanitatemque pro-



reperere. Inde alij se satis vixisse Te viso, Te recepto: alij nunc magis esse vivendum predicabant. Hinc Claudianus:

Non sic excubia, non circumstantia tela  
Quàm tutatur amor.

Gnarum hoc fuit laudatissimo Imp. Octavio Augusto. Etenim, sum Patris patriæ cognomen universi repentino maximèq; consensu ei detulissent, lacrymans respondit: quid habeo aliud precari deos immortales, quàm ut hunc consensum vestrum ad ultimum vita finem mihi perferre liceat! Sueton. in ejus vita c. 58. Gnarum quoque letissima recordationis Principi V. V. V. Eberhardo, de quo memorie commendat Naclerus (citante Bronchorst in notis ad Aphorism. Politic. Danæi.) Cum aliquando esset in solenni conventu Principum Germania, aliis suarum regionum dotes efferentibus, hoc uno ceteris se prestare jactabat, quod omnes opes & arces munitissimas dignitate ac firmitudine superaret. Se nempe vel in cujusvis subditorum suorum gremio, in vastissimalicet solitudine, nocte concubia, quiescere posse. Quomodo autem difficilia fermè quæ pulchra, omniumq; rerum laudabilium carissima est annona: ita auro contraestimandus istiusmodi subditorum erga Moderatorem suum affectus rara avis in terris nigroque similima cygno.

Maxima enim Principum pars, quia in alio positum non alta sapere difficile, Bernhard. Epist. 42 ac inter tot obsequia fortune non satis cauta mortalitas est. Curt. 8, 4. sine injuria potentiam levem atque inopem esse arbitrantur. Cic. pro Quinctio n. 34. & oblitum civium non servitutem sibi traditam; sed tutelam Senec. 1 de Clem. 18 dominationem ac servos; non rectorem & cives cogitant Tacit. 12. Annal. 11. ut mirum adeo haud sit, unà cum imperantium mutatione, ipsos quoque subditos se, & affectus mutare. Polyb. 10. Nam illius demum Principis magnitudo stabilis fundatæque est, quem omnes tam supra se esse, quàm pro se, sciunt, cujus curam excubare pro salute singulorum atque universorum quotidie experiuntur. Quo procedente, non tanquam

quam malum aliquod aut noxium animal è cubili profilierit, defugiunt; sed tanquam ad clarum & beneficum sidus certatim advolant, objicere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragem illi humanam iter ad salutem sternendum sit. Senec. 1. de Clem. 3. Unde mihi decretum, paullo diligentius pestus istius (odii Subditorum adversus Principem) causas investigare, simulque remedia, quibus ceu antidotis saluberrimis ei occurripotest, circumspicere. Deum opt. max. datorem omnis boni ex intimo pectoris penetrandi queso venerorque, ut manum mentemque meam dirigat ad nominis sui gloriam & publicam utilitatem.

## PROPOSITIO I.



Um omnem quæ à ratione suscipitur de re aliqua institutionem, ut intelligatur, quid sit, de quo disputatur, à definitione proficisci debere auctor sit

flos delibatus populi Suadæque medulla  
Cicero 1 Officior. n. 7 hanc quoq; dissertationem aliter quàm à definitione ordiri religio est. Definitorum autem prudentissimo doctrinæ civilis magistro Lipsio lib 4. Polit. c. 11. quod sit SUBDITORUM IN REGEM EIUSQUE STATUM MALEVOLENTIA PERTINAX & OFFENSA.

II. Unde facile colligere licet cuius, non hic sermonem nob. esse de odio civili, quo omnes in probos odimus. Cic. pro Milon. n. 35. Illud enim vel precibus mitigari potest, vel temporibus reip. communique utilitate deponi, vel difficultate ulciscendi teneri, vel vetustate sedari Idem Orat. post red. ad Quirit n. 23. multò minus de plebejo illo & levi, de quo Seneca Oedip. act. 3. v. 195.

— odia qui nimium timet  
Regnare nescit.



Sed de affectu quopiam vehementiori, quem infidelis recti magister metus *Plin. Panegy. c. 45.* prognerat.

III. Deum immortalem! quàm nefaria hæc mater. Nulla enim vis imperii tanta est, quæ premente metu diuturna esse possit; eò quod Poëtæ veteris iudicio: quem metuunt, oderunt: quem quis odit, periisse expetit. *Cic. 2. Offic. n. 23. & 25.* Semper itaque in auctores redundat timor, nec quisquam metuitur ipse securus. Neesse est multos timeat, quem multi timent. *Senec. 2. de Ira. c. 11.* Idem *1. de Clem. 10.* Tantum, ait, neesse est timeat quisque, quantum timeri voluit: & manus omnium observet, & eo quoque tempore, quo non captatur, peti se iudicet, nullumque momentum immune à metu habeat.

IV. Neque verò est ut mitiorem quis de prole genitricis istius spem concipiat. Tralatitium quippe, & veritatis vim ex usu obtinuit, fortes non nisi fortibus & bonis creari, quodque

non procul à proprio stipite poma cadant.

Metum enim & terrorem, infirma vincula caritatis, ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient. *Tacit. Agric. c. 32.* Pulchrum est disterium, & omnibus Principibus cedro notandum illud *Senecæ 1. de Clem. 12.* Et invisus est, qui timetur, & timeri vult, qui invisus est: & illo execrabili versu utitur

Oderint dum metuant.

Ignarus quanta rabies oriatur, ubi supra modum odia creverint. item illud Tragedi *Thebaid.*

Invisâ imperia nemo retinuit diu.

Clarissimè enim exitus priorum Principum docuit ne à diis quidem amari, nisi quos homines ament. *Plin. Panegy. c. 72.* Scilicet juxta gradationem *Senecæ 1. de ira c. 16.* execrantur, insidiantur, opprimunt. Et quidni id faciant? Ne Herculem quidem adversus duos consistere posse proverbio

bio dicitur, quantò facilius multæ manus uni cervici præcidendæ sufficient. Non potest quæ multorum malo exercetur potentia diu stare. Periclitatur enim, ubi eos qui separatim gemunt, communis metus junxit. Plerosque igitur modò singuli mactavere, modò universi, cum eos conferre in unum iras publicus dolor coëgisset. *Senec. 8. de ira. 16.* Hinc exosum Principem sequitur à tergo eversio, venena, gladii, ac tam multis periculis petitur, quàm multis ipse periculum est: *idem 1. de Clem. c. 25.*

V. Exempla omnis memoriæ id comprobant. Quod enim homines quemlibet sibi malint imperare, quàm cum à quo læsi sunt, documento Vitellius est, nullis stipendiis, nullâ militari famâ, Galbæ odio promotus. *Tacit. 2. Hist. 67.* Sic Opilium Macrinum Senatus, odio Antonini Bassiani, libenter imperatorem accepit; cum in senatu omnibus una vox esset: *quem vis magis quàm parricidam, quem vis magis quàm incestum.* Capitolin. in ejus vita c. 2. Simile de Demetrio Syriæ Rege testatur *Justinus 35, 1, 8.* cujuscantum odium apud omnes erat, ut æmulò ejus non vires regie tantum, verum etiam generis nobilitas, consensu omnium tribueretur. Ita Dionysius junior (Syracusanus Tyrannus) non contemptior omnibus, quàm invisior, regno pulsus est. *idem 21, 2.*

VI. Ut maximè autem universa Subditorum turbâ insurgere adversus Principem statim non audeat: neque enim facile multitudini invicem convenit, existentibus haud paucis, quibus nefas videtur cæde se qualiscunque Principis cruentare *Tacit. 15. Annal. 52.* Alii metu quoque absterrentur à nefariis istiusmodi consiliis, gnari ultorem fore quisquis successerit. *idem 1. Hist. 40.* ideoque Lysimachum, qui ab Alexandro M. leoni ferocissimo objectus, magno animo Regis velut parentis contumeliam tulit. *Justin. 15, 3, 10.* imitari amant; captatur tamen occasio,



& qui non tantum opibus aut viribus valent, nescio quam fortunam ac tempus expectent. *Cic. de harusp. n. 55.* Cuius praterca persuasum esse debet nihil profuturas cohortes, alasque, si unus alterve presentis facinore paratum ex diverso premium petat. *Tacit. 2. Histor. 75.* & vel unius infidiis Regem patere *Curt. 4, 10.* Nam nulli non ad nocendum factis virium est *Senec. Epist. 105.* Omnia illi patent cui aditus restat ad mortem, modo in extremo libertatis osculo velit expirare. *Euphormio part. 5. pag. m. 435.* Exemplo sit Augustus quine quidem ultimae sortis hominum conspiratione caruit. *Sueton. c. 10.* Cuius memor Imp. Carolus V. sapius dixisse fertur, malle se vel potentissimum aliquem Principem laedere, quam ultimum est monachorum mendicantium cohortem.

VII. Quisquis igitur Principum amplissimo illi & illustrissimo muneri, quod maria, terras, pacem, bella moderatur, *Plin. Panegy. c. 4.* diu praesens expetit, belluam istam immanem cane pejus & angve fugiat, neu expectet donec inclusum odium omne repente appareat *Cic. Ep. fam. 1. 9.* alias nec illas ipsas manus quibus se commiserit securus adspiciet. *Senec. 1. de Clem. 12.*

VIII. Evitabit autem commodissime, si averfabitur ea omnia, quae forte conciliando apta esse queant, ut sunt primum vitia, deinde vitiorum opinio. *Lips. 4. Polit. 11.*

IX. Vitia tamen si omnia ex natura odiosint obnoxia; tamen nisi penitus sint enormia, pronoque, quod ajunt, alveo in perniciem societatis humanae fluentia, tolerantur in iis, qui rerum potiuntur, haud secus atque sterilitas, aut nimii imbres & caetera naturae mala *Tacit. 4. Hist. 74.*

X. Publice invisa praecipue tria ponit Lipsius c. 1. **Sævitiā, Avaritiā, Rigorem;** quibus tamen bona

bona Lectoris veniam duo minime inferiora, **Injustitiā & Superbiam,** adungere liceat. De illa quis ambigit? Etenim quoad longissime potest mens nostra respicere spatium praeteriti temporis, inde usque est veterum monumentis repetentes servandae justitiae causa bene moratos Reges olim institutos reperiemus *Cic. 2. Offic. n. 41.* Cujus primordii sui memoriam ubi abjicere non verentur Principes, efficiunt, ut omnium animis a se abalienatis, latronum vice habeantur. Nihil enim remotam justitiā sunt magna regna, nisi magna latrocinia. *Augustin. 4. de Civ. Dei c. 4.*

XI. Superbiam autem crudelitate omni gravio-rem esse bonis, *Florus 1, 4, 7.* expresse adfirmat. Eodem sensu *Pacatus Panegy. c. 20.* Majores nostros, ait, ita pertasum est arrogantiae, ut gravio-rem semper putaverint servitute contentum, ejusque impatientiam sint coacti post bellatores Tullos, Numasque sacrificos, & Romulos conditores, regnum usque ad nomen odisse. Denique ipsum illum Tarquinium execratione postrema, hoc damnaverunt maledicto: & hominem libidine praecipitem, avaritia caecum, immanem crudelitate, furore vacordem, vocaverunt **SUPERBUM** & putaverunt sufficere convitium. Ita *Perdicca*, plus odium arrogantiae, quam vires hostium nocebant; quam exosi etiam focii ad Antipatrum gregatim profugiebant. *Justin. 13, 8, 2.*

XII. Sed quia scelera istiusmodi omnium oculis exposita vitanda esse, multis argumentorum ponderibus probare, id sit vetera vaticinari & soli facem adhibere, cum neminem ita imprudentem existimemus, qui mala haec ac imperio noxia esse nesciat, aut impudentem, qui neget. Sufficiat igitur quod cavenda sint paucis haecenus innuisse, potiore verò operam, quae opinio istorum ac suspicio amovenda, docendo impendere. Scimus enim homines, ut



metuant aut oderint, non minus opinione & fama, quàm certâ aliqua ratione moveri. *Cic. pro leg. Manil. n. 43.*

XIII. **Injustitiæ** autem suspicionem incurrit Princeps, si diurnitatis litium modum ponere negligat: **Superbiæ**, si præcipuas officiorum dignitates in exteros, sprete patrij sanguinis claritudine, cumulet: **Sævitia**, si in supplicijs modum tenere nesciat ubertimque sanguinem effundat: **Avaritiæ**, si Tributorum impositionibus, & varij generis exactioibus omnes subditorum opes exhauriat: **Rigoris** denique, si Censuram incautè administret, atque, ut Tiberius apud Tacitum *3. Annal. 53.* ait, denotantibus Censoribus ora, ac metum singulorum, qui pudendi luxus arguuntur, ipse etiam videat eos, ac velut deprehendat. In his igitur ut prudenter ac circumspectè ambulet Reip. Moderator, summam requirit necessitas.

XIV. Et quidem **LITIIUM DIURNITATEM** nemo Principum ita æquis intueri oculis debet, ut inexpiabilis odij segetem eam esse dubitet. Non enim auctor aliquis è vulgo, sed rex sapientiæ ac culmen, Aristoteles *6. Polit. 5.* inter alia conservandæ Reip. præcepta sedulò hortatur, ut publicâ judicia semper sint & fiant paucissima. Quod clariùs expressit deus Philosophorum Plato *lib. 5. de ll.* Non fuerint concordēs aut inter se amantes unquam cives, ubi multæ lites judiciales sunt; sed ubi eæ brevissimæ & paucissimæ. Brevissimæ, ait, non corniculis vivaciores, aut cervorum ætate diuturniores. Quâ injuriâ (si quidem tarde justitiam administrare, & planè non administrare, paria veteres judicârunt. *Auctor Parthen litigios. 1, 1, 24.*) in infontes inopesque major quæ possit cadere, non invenio. Haud paucos enim videre est, qui immani dilatione pereundi metu, causæ suæ bonitatis cæteroquin securi,

curi, ubi cum Sumptibus est molestiarum ratio, gravius putant sic vincere, quàm confestim damnari. Nam qui in divitem inimicum pauper inciderit, tam longo & sumptuoso itinere conficitur; procumbitq; deinde lassus, nec recuperato jure inultus, æmulo minus suo quàm huic proluxæ æquitati irascitur. *Barclai. Argen. lib. 3.* Immo cum, qui injuriam prohibendi facultate instructus eam non arcet, approbare videatur, in Principem dehinc omnis convertitur ira. Id quod Vari Quintilij, cujus jura Germanis sæviora armis fuisse notat *Florus 4, 12, 32.* exemplo sole meridiano clarius evadit.

XV. Omnium igitur ætatum clarissimis Principibus cordi fuit, ut morbo huic gravissimo mederi queant. Octavius Augustus diuturnorum reorum, & ex quorum sordibus nihil aliud quàm voluptas inimicis quæreretur, nomina abolevit: cōditione proposita, ut si quem quis repetere vellet per periculum pœnæ subiret. *Sveton. c. 32.* Præcipuè autem Imp. Justinianus *l. 13. C. de judicijis* ait: Properandum nobis visum est, ne lites fiant penè immortales, & vitæ hominum modum excedant. Sic Imp. Zeno *l. 12. C. eiusd. tit.* Omnes magistratus & judices compendiosè lites decidere jussit. *adde l. fin. ff. pro suo.*

XVI. Quia vero morbum tollere Medicus non potest quam diu causa durat, morbumq; fovet: nos etiam contagij huius curam à causarum indicatione ordiemur, quarum tres potissimum eminent. (1) **Litigantium malitia**, quæ prono in omnia mala & in luxuriam fluenti hoc sæculo ad eò enormis est, ut nonnulli ob res ne titivilitio quidem dignas, & tricis, tramis putridis, cassis glandibus, minutisque curculionibus, ut loquitur festivissimus lepōrum magister Plautus *Rud. a. 5. f. 2.* viliores judices fatigare non erubescant. In his, quid quæso aliud est, quàm per-

B

vicacia,



vicacia, & sæpe impostura, aut improbitas? neque enim bona conscientia (ait scite Celsus) sed victoria, litigantis est præmium. *Lips. monit. Polit. l. 2. c. 10.*

**XVII. (2.) Causidicorum & Rabularum** multitudo adeò numerum superans, ut pauciores sint agricolæ, pauciores qui in mercatura vertuntur, regnumque custodiunt: Unde quæso tanta illa gens vivit nisi ex injuria populi, ex clade & sanguine miserorum? *Barclai. Argen. l. 3.* Non autem hîc ulla reprehensionis nota perstringi veros Advocatos, sanctè protestamur. Novimus enim, ex *l. 14. C. de advoc. div. judiciorum*, illos qui dirimunt ambigua fata causarum, suæque defensionis viribus in rebus sæpè publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus providere humano generi, quàm si prælijs atque vulneribus patriam, parentesque salvarent: gloriosæ namque vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam, & posteros defendunt. Sed corvos illos fori (*Lips. Cent. 1. epist. 8. f.*) duntaxat detestamur, qui, ut Satyricus ait, cruda studia propellunt in forum, qui pensî nihil magis habent quàm leges ut ceram habere, pro animo aut lucello suo huc illud flectere, *Lips. Cent. Miscel. epist. 78.* hominesque albo reti oppugnando si nihil est litium, lites serere. *Plaut. Pœnul. a. 3. sc. 2.* Vel enim alios inter se committunt comitiales isti homines & jurgiorum præceptores, vel ipsi reperia litigandi materiâ hujus ludi ignaros exercent. *Barclai. Argen. l. 3.* Quod ne quis in dubium vocet, facere non possum, quin illustrem exemplo proposito à Lud. Vive, *de causis corruptarum artium, in fin. lib. 7.* In Pannonia vivebant, inquit, olim sine juris interpretibus non tamen sine jure. Nam simpliciter & bona fide ex antiquis moribus, & paucis quibusdam legibus, Pannoniis illis, non Romanis, res judi-

judicabant: immo dissensiones suorum civium facile componebant: &, quemadmodum de Servio Sulpicio dicit Cicero (*Philip. 9. n. 11.*) tollere controversias malebant, quàm constituere. In comitatu Beatricis, Ferdinandi Regis Neapolitani filia, quæ illinc fuit missa nuptum Matthiæ Corvino Regi, venerunt Jureconsulti aliquot, qui barbarum (ut ipsi dicebant) morem magno vultus & superciliorum fastidio aspernati, auctoritate sua facile perfecerunt, ut homines rudes ac simplices illorum se sapientiæ concrederent. Cœperunt illi formulas præscribere, quibus esset petendum, quibus respondendum atque excipiendum: dies legitimos notare: judici quoque aliquid assignare quod diceret, ne muta esset persona. Brevi tempore ubi nullæ prius erant lites, omnia vidisses fervere litibus, controversiis, petitionibus, repetitionibus, exceptionibus, comprehensionibus, procrastinationibus. Erat prorsus fabula, nisi quod damnosissima, cætera festiva cumprimis, & ad movendum risum apta, hominibus utique ociosis, & quibus nihil esset controversiæ. Quod malum tantum & tam subitum, quodque latè invasisset plurimos, quum animadvertissent homines prudentiores, ad Regem res est delata, qui re percognita, Jureconsultos illos, continuo regni finibus jussit excedere. Sedata est statim tempestas illa, tanquam si venti posuissent.

**XVIII.** Absit autem in hos quoque ut omnis culpa transferatur. Neque enim qui advocacionis munere funguntur, ita peccare nisi ex **consensu judicum** (quæ tertium litium prorogationis causa) possent. Illi rem postulant differri; isti annuunt. Utrorum majus est vitium? Equidem censeo esse illorum, qui cum possint hæc mala prohibere, non faciunt. Neque enim sic tergiversari rem-



que differre, & superfluis morari auderet Patronus, qui ne-  
scire ejusmodi artem quotidianam esse & assensu judicum  
ratam. Neget itaque Prætor inducias; omnes litis articu-  
los intra paucorum mensium spacia includat, imparatos  
habeat pro convictis, jam caussidici desinent ab hac frau-  
de, neque jura clientium improba dilatione confici ferent.  
Nunc & modum & numerum supergressæ sunt artes, ac  
nomina, quibus miseros clientes Patroni & Judices fru-  
strantur. Sæpe itur ad Judices, causa narratur, aliquot anni  
abeunt, nec dum contestatio litis, ut vocant, audita est. Ju-  
dicibus hinc non vacat; hinc omisso quod litem facit nego-  
tio, hærent Patroni in causis minoribus, quæ nunc sponte,  
nunc eorum studio, nascuntur è prima. Hæc præludia ad-  
ornant, his proclamant in auditis iter ad verum Judicibus ef-  
se non posse. Sic dubia ex dubiis feruntur. Ne quære cur  
randiu Judicibus placeat & Patronis, ad se delatos cruciari.  
Nempe ex mora & tempore, sua opera æstimatur. Sic Pa-  
tronis inquam crescit, sic Judicibus merces. Multa scripsis-  
se, multa audisse (quanquam ea præstabat compendio fie-  
ri) acerrimè vendunt; eò pejores, quod quæ peccant ipsi,  
justitiæ imputant. Præterea consuetudine videndi misero-  
ros, & deinde faciendi, exuunt humanitatis sensum; aut  
potius miserum esse non credunt litigare. Ita duri ad que-  
stus, parum supplicibus moventur; & ab iis tantum culti,  
saltem amant longiora in ipsos exercere imperia. Hæc è  
Joan. Barclaii omnibus numeris absolutissimæ Argenid. l.  
3. ideo de promere libuit, quoniam *Eurip.* monente

—— ab obscuris profecta oratio

Et à probatis eadem, non idem valet.

XIX. Cognitis ita causis diutinarum litium, con-  
sequens est, ut remedia circumspeciamus. Esto itaque  
**malitiæ litigantium** remediū *primum*, **Consti-  
tutio**

**tutio Arbitrorum**, qui antequam ad publicum ju-  
diciū partes deveniant, amicabili compositione iurgia  
earum consopire tentent. Hinc non satis laudare potest  
Everard. Bronchorst *in not. ad Aphorism. Polit. Danaip. 653.*  
pium & egregium institutum magistratus Leydenensis, quo  
cautum est, ut cives priusquam iudicio inter se conten-  
dant, coram certis arbitris, ex Magistratu ad id deputatis,  
conveniant, qui experiri debent, an amicabili quadam  
compositione possint partes inter se dissidentes conciliare.  
Quod concilium vulgò vocatur Camera pacis, & arbitri  
ad hanc rem electi dicuntur **die fredenmakers**. In hac  
quoque laudatissima florentissimaque Argentinæ rep. i-  
dem obtinere ne dubitem, movet solennis illa formula,  
qua tribum quamlibet finitis comitijs Consularibus, visi-  
tans Cos. alloquitur, ut quisque civium, injuriâ adfectus  
ab altero, vindictâ privatâ abstineat, accedat autem vel  
Scabinos, vel Tribunalum plebis, iisque querelam suam de-  
ferat: à quibus si frustratione differretur, tum demum Con-  
sulis impleret auxilium, certus, eum auctoritate Domino-  
rum suorum (ita vocant Magistratum universum) effectu-  
rum, quo omni injuriâ sublata tranquillam quisque vitam  
degere possit. Quia tamen quis objiceret, litigantes com-  
muniter esse heteroclitos, ut neutra pars velit videri transa-  
ctionem rogasse, **dem andern zu gnaden gehen** / sed esse  
rogata; quin dubiam potius litigandi aleam subire, quam  
cum honoris sui, uti existimant, diminutione alteri cede-  
re: capropter consultum videtur gravius animadvertere in  
fastuosos justius modi pacis osores, nec ad publica iudicia ad-  
mittere, priusquam interpellaverint adversarios colliti-  
gantes coram compositoribus litium amicabilibus.

XX. *Alterum est severa temerè litigan-  
tium*

B 3.

tium



tiumpœna. Admonendi enim sumus magnam curam egisse eos, qui jura sustinebant, ne facile homines ad litigandum procederent, quod & sibi studio esse ait Imp. Justin. *Inst. de pœna tem. litig.* Pœnæ hujus species tametsi non paucas & ad litigandi odium validas proponant Jcti & Politici; potissima tamen videtur condemnatio in expensas victori præstandas, juxta *l. 79 ff. de judic. & ubi quisque.* & constit. Imp. Justin. *l. 13. § 6. C. de judiciis.* Cui concordat etiam *l. 4. C. de fruct. & lit. expens.* item *Novel. 112. c. 2.* Ita etiam ab illustrissimis Hollandiæ ordinibus temerariè litigantes, deposita aliqua certa pecuniæ summa, & fisco commissa, puniri, auctor est Bronchorst. *not. cit. pag. 336.*

**XXI. Caufidicorum fraudulentis conatibus** tragula injicietur si in initio cavebitur ne promiscuè in Patronorum numerum recipiantur, qui inopiâ jurisprudentiæ ora mercenaria producentes, per prostitutas frontes vilesque latratus ad effrenatam defleunt conviciandilicentiam; vel inter sollicitudines judicum per multa distentas, irresolubili nexu vincientes negocia, laborant, ut omnis quies litibus implicetur, & nodosis quæstionibus judicia circumscribantur. *Ammian. l. 30* providebiturque, ut advocationum munus inter paucos sit spectati candoris viros, qui non processus modo judiciarij, omnisque ad litigandum articuli sint scientes; sed & ipsam causam legum, juris, rationisque suffragijs defendere apti. *Forstner. in not. Polit. ad Tacit. 2. Annal. 34.* ita non modo ad afflictis subsidium parabitur, sed etiam tot illa ingenia, quæ noxia calliditate se corrumpunt melioribus studijs ornabunt patriam: disciplinas & artes aut prodent novas, aut ab aliis inventas, magno Reip. bono, excolent.

**XXII.** Deinde ut, ad quos Patronos causa aliqua defe-

deferetur, ij Numini Opt. Max. repetant sacramentum, quo semel devincti sunt, quod omni quidem virtute sua omni-que ope, quod verum & justum existimaverint, clientibus suis inferre procurabunt, nihil studii relinquentes, quod sibi possibile est; non autem credita sibi causa cognita, quod improbasit, vel penitus desperata, & ex mendacibus allegationibus composita, ipsi scientes prudentesque malâ conscientiam liti patrocina-buntur: Sed & si certamine procedente aliquid tale sibi cognitum fuerit, à causa recedent, ab hujusmodi communi- one sese penitus separantes: uti præcepit Imp. Justin. *Authen. Hodie §. 1. C. de judiciis.* Quod si verò hanc eos fidem fefellisse constiterit, aut clientem prævaricatione læsisse, præter infamiam genus supplicii ex- eipiat, cuius timor apud paria ausuros plus quam omnes dii possint. *Barclai. Argen. lib. 3.*

**XXIII.** *Ultimum* eludendis Procuratorum prote- lationibus remedium est, ut publicè definiatur quantitas mercedis à Clientibus Patronis suis præstandæ. Non probamus quidem Siliij severitatem nimiam, qui acriter incu- buit referendæ legi Cinciae, qua cavetur antiquitus, ne quis ob causam orandam pecuniam donumve accipiat: ubi hanc præcipuè urget rationem, si in nullius mercedem ne- gotia tueantur, pauciora fore: nunc inimicitias, accusatio- nes, odia & iniurias foveri, ut quomodo vis morborum pretia medentibus, sic fori tabes pecuniam advocatis ferat. Sed sufficiens à Suilio & Cossutiano responsum tulit: nihil à quoquam expeti nisi cuius fructum antè præviderit. Sub- latis itaque studiorum pretiis, etiam studia peritura, ut mi- nus decora; cum tamen illis usui & rebus subsidium præ- pararetur, ne quis inopiâ advocatorum potentioribus obno- xius sit. *Tacit. 11. Annal. 5, 6, & 7.* Modum tamen capiendis pecuniis, priusquam lis finem sortita est, poni, quem egref- si repe-



si repetundarum tenerentur, *Tacit. ibid.* id est, quod utile iudicamus.

XXIV. Ad **Judices** flectimus, quorum procrastinationibus ab **avaritia** præcipuè scaturientibus obviam eundi hos præcipuè modos præscribunt Politici. *Primo*, ne tribunalia turpissimo mercimonii genere velut ad licitantium arbitria prostituantur. Rationi enim consentaneum est eos lucro assuefieri, qui magistratum emerint. *Arist. 2. Polit. 9.* Hinc illud Alexandri Severi *apud Lamprid.* Necessè est, ut qui emit, vendat. Ego non patiar mercatores potestatum: quos si patiar damnare non possum. Erubescò enim punire illum hominem, qui emit & vendit, quando iuxta Senecæ *1. de benefic. 9.* effatum, quæ emeris, vendere gentium jus est. *adde Novella 8. præf. 1.*

XXV. *Deinde*, ut Principes aut populus suis Magistratibus ex publico salarium constituent sufficiens, ex quo commodè vivere possint, & abstinere à subditorum oculis. *Tholozan. 2. de Rep. c. 6.* Mirè huc facit quod ex annalibus Turcicis Lipsius *monit. suis Polit. l. 2, c. 9, m. 3. q. 2.* inserit: Baiasetes, primus, cum fraudes & iniurias Cadiorum suorum (ita Judices vocant) sæpe iam audiret: commotus denique Neapolim omnes ad se venire iubet, ibi in domum quandam includi, & igne iniecto comburi. Faciendum erat: cum Alis Bassa, vir prudens, rationem quæsit, & reperit, Principis molliendi. Habebat Baiasetes Æthyopem puerum, garrulum & lepidum, inter delicias: hunc instructum quid diceret faceretque, ad Principem misit. Venit igitur in meliore veste & ornatu omni: *Quid hoc rei?* inquit Princeps: *Quid extra morem hic vestitus?* Æthyops: *ut peregrè eam & ableger à te ad Imp. Constantinopolitanum.* Princeps: *Ad illumne hostem nostrum? quid factu-*

*facturus?* Æthyops: *Nempe Cologeros* (sunt monachi Græcorum aut religiosi) *aliquot arcesiturus, ut nobis jus dicant: quoniam Cadros tuos omnes vis occisos.* Princeps: *At, ò Æthyopille, nunquid illi periti legum nostrarum sunt?* Hic Alis Bassa oportuè interloquitur: *Et non sunt, ò Domine; cur peritos igitur tollis? Nam, inquit, cur malè judicant?* Iterum Alis: *Ego Domine causam edam, hi nostri è publico stipendium nullum accipiunt, capiunt igitur mercedulã à privatis. Hoc corrige, eos correxisti.* Placuit consilium Bajaseti: vitam illis dedit, Ali potestatem in hac re, quod ex usu esset, statuendi. Ille decrevit (& postea mansit) ut cuicumque hæreditas tot mille asprorum obvenisset, is in singula millena Cadio suo daret aspros vicenos. Amplius: ut in matrimoniorum & ejusmodi contractuum instrumentis, item vicenos. Ita inopiæ subventum, & simul Justitiæ, quæ laborabat.

XXVI. *Denique* parum est, nisi Princeps edixerit (sed hoc graviter, nec ut solemus, terroris mox evanescentis imagine) ne ulla lis ultra certum temporis spacium apud iudices hæreat. Quod quantum esse debeat, non est nostrum definire. *Quamvis enim Imp. Justinian. l. 13. C. de judiciis* omnibus litibus triennii metam assignet; quævis tamen Respub. prout commodissimum sibi videbitur, hîc disponat. Ut verò veteribus etiam causis, quæ in tribunalibus multos annos jam perennant, forum brevi purgari possit, illis qui judicia exercent etiam ingratis adjungendi erunt, quot quidem finiendis suffecturi sunt, collegæ, qui tamen vacuis deinde à situ antiquo tribunalibus potestate sua se abdicare cogantur.

XXVII. Quod Superbiæ maculam alliniendo Principem odio subjectorum prostituere diximus, est **F A V O R I N P E R E G R I N O S P R Æ I N C O L I S**, quo implacabilem



lem invidiam accersiri probat *Aristot. 5. Polit. 3.* quando ait: ignominiam affecti ipsi, aliosque in honore cernentes, seditiones movent, & *Lips. notis ad l. 3. Polit. c. 4.* Indigenæ haud facile concoquunt, in sua rep. plus aliquid credi aut tribui alienis. Inde livor, questus, & aversio quædam animorum. Exemplis etiam id ipsum omnium sæculorum illustres annalium conditores affatim ostendunt. De Pausania refert *lib. 2. Thucyd.* eum inter alia maximè exosum apud Lacedæmonios reddidisse, quod iter facientem Medi Ægyptiique stiparent. Sic Vononis Græci comites iridebantur à Parthis *Tacit. 2. Annal. 2.* Julio Cæsari quantum odii conciliaverint peregrini in Senatum lecti, prodit *Sueton in ejus vit. c. 80.* Ita cum Albertus Magnopolensis, in Sueconum Regem electus, Teutonibus loca & officia publica commisisset, nobilissimasque virgines ac viduas in extraneorum conjugia consentire coëgisset, à suis victus & in carcerem coniectus fuit. *Junius 2. Pol. 15.* Rixa quoque illa Poloniæ Regina cum exteros eveheret, neglectis Polonis, magnis seditionibus occasionem dedit: quæ etiam præter alias, causa fuisse dicitur interitus Henrici III. Galliarum Regis *Arnold. Clapmar. l. 2. de arcan. Rerump. c. 23.* Batavorum etiam exemplum prætereundum minimè videtur, quibus non ultimam exuendi erga Hispanum obsequii causam fuisse tradit *Bronchorst not. ad Aphorism. Dani pag. 467.* externos & peregrinos præsidet. Nec mirum, quando juxta Scytharum effatum apud *Curt. 7, 8.* alienigenam dominum pati nemo vult. Tyranno quoque proprium est, cum peregrinis sæpius versari quàm eum civibus: tum convictu quoque eorum magis delectari, & quotidiana consuetudine *Aristotel. 5. Polit. 11.*

XXVIII. Præterea cum diversi sint populorum mores, diversa ingenia, diversæ leges: quidam enim nec  
totam

totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem *Tacit. 1. Hist. 16.* nec nisi pactionibus adstrictum Principem recipere solent: contra alii libertate ignota magis ad servitium inclinant *Tacit. 13. Annal. 34.* hinc metus subditis ne quid, peregrinis magistratibus sibi præfectis, de iis prærogativis decedat, quas tam à multis ætatibus intemeratas habent. Experimento namque deprehensum est exteros studio quàm possunt maximo mores suæ gentis in alias transfundere conari, quibus tamen, ut maximè honestis, quia ipsarum majoribus alieni, perinde odium atque pravis; quemadmodum Vononis prompti aditus, obvia comitas; ignotæ Parthis virtutes, nova vitia habebantur. *Tacit. 2. Annal. 2. fin.*

XXIX. Fugiat ergo hos Princeps, quod nisi fecerit, inexpugnabili amoris civium munimento destituetur. Non tamen ita iniqui sumus peregrinæ virtuti ut illi hospite honore prorsus interdiciamus. Etiam qui adoptantur filii sunt: fiunt cives, quos alibi nasci fors voluit. Occupari possunt licet non emineant; ornari possunt licet publica non attingant: sint Principi in aulicis aut privatis rebus, si utiles sunt, aut se dignos familiari munere præstant. *Frederic. de Marselar, lib. 1. de Legato diss. 10.* Sciendum præterea nos peregrinis non amplius accensere eos, quorum jam & nomen & honos inveteravit & urbi, & hominum famæ ac sermonibus *Cic. pro Sylla n. 24.* nec, si unus aut alter interdum, fide aut ingenio valde cognitus, reip. gubernaculis admoveatur. pertinaciter abnuere; modo ne promiscuè id fiat, aut (quod palmarium) indigenis neglectis.

XXX. Sequitur jam ut SUPPLICIA etiam ab odio muniamus, quod commodissimè futurum arbitramur si (1.) Tardè & quoad licebit rarissimè ad ea veniatur.



niatur. Cum enim non minus Principi turpia sint multa supplicia, quàm medico multa funera. *Senec. 1. de Clem. 24.* præstat parsimoniam etiam vilissimi sanguinis amplecti. Omnia itaque sunt animo præcipienda, & meditanda priusquam civis è civitate, nedum homo è vita sit exterminandus. Quo vitæ necisque arbitrio nullum gravius est negotium: nec diligentiori cura providentiæque administrandum. Potest enim poena dilata exigi, non potest exacta revocari. *Senec. 2. de ira 23.* Nullus hinc Prætoris in integrum restitutioni locus, nec interdicta recuperandæ possessionis iudicato prodesse possunt. *Baud. orat. ad stud. tumult.* Quo respiciens Tiberius Senatū, quod C. Lutorium Priscum ob carmen, quo Germanici suprema desleverat, in carcerem duxisset ac statim exanimasset, inculpavit, ac deprecatus tam præcipientes verborū poenas, fieri Senatusconsultum imperavit, ne decreta Patrum ante diem decimum ad ærariū deferrentur; idque vitæ spaciū damnatis prorogaretur. *Tacit. 3. Annal. 51.* Nec ab re eximij Cæsarum Grat. Valent. & Theodosius in l. 20. C. de poenis sanxerunt: si vindicari in aliquos severius contra nostram consuetudinem pro causâ intuitu iusserimus, nolumus statim eos aut subire poenam, aut excipere sententiam, sed per dies triginta super statu eorum sors & fortuna suspensâ sit. Sic prudenter Elizabetha potentissima Angliæ Regina, cum sententiam definitivam parlamenti regij confirmasset, de capitis poena Mariæ Scotiæ Reginæ infligenda, quod proprium maritum Regem Scotiæ interfici curasset, amplius quàm integrum annum executionem ejus sententiæ differri & prorogari voluit. *Demetr. lib. 13. Hist. Belgic.*

XXXI. (2). Si neminem ultimo affecerit supplicio nisi id publica utilitas suaserit. Præclare Seneca *1. de ira c. 16.* Nemo prudens punit quia peccatum est, sed ne pec-

peccetur. Revocari enim præterita non possunt: futura prohibentur, & *1. de Clem. 16.* Nemo Regi tam vilis sit, ut illum perire non sentiat qualiscunque imperii pars sit. Cum igitur non minus probanda sit Medicina, quæ sanat vitiosas partes, quàm quæ excecat. *Cic. 2. ad Attic. epist. 1.* nemo dubitabit, quin si nocentes mutari in bonam mentem aliquo modo possint, sicut posse interdum conceditur, salvos esse eos magis è rep. sit, quàm puniri. *Quintil. lib. 12. c. 1.* ac proinde objurgatio peccantes primùm secreta, deinde publica emendet *Senec. 1. de ira c. 16.* sitque in integro vita illius, qui neque servatus in periculum reip. neque interfectus in exemplum ibit. *Tacit. 3. Annal. 50.*

XXXII. Caveat verò iterum atque iterum Princeps ne faciliè propter privatas injurias in quenquam capitali poena animadvertat. Omnis enim animadversio debet, non ad ejus qui punit aliquem, sed ad reip. utilitatem referri *Cic. 1. offic. n. 88.* Cujus observatione præcepti immortalis adeptus est gloriam Adrianus Imp. qui cum rogaretur an de inimicis, quos habuerat nondum occupato imperio poenas nollet sumere? respondit: illi vero evaserunt. Ita Ludovicus XI. à suis monitus ut puniret illos, quos sibi adversos esse intellexerat cum adhuc esset Dux Aureliæ: regiè respondit, non oportere Regem Franciæ ulcisci injurias Ducis Aureliani. *Clapmar l. 5. de arcan. Rerump. c. 6.*

XXXIII. Si vero aliter omnino tranquillitati cum suâ, tum reip. prospicere non possit, nisi cæde istiusmodi gentis suæ carcinomatum, vultum eum induet, tanquam invitus & magno cum tormento ad castigandum veniat *Senec. 1. de Clem. 22.* abstinebit igitur (quod 3. in poenarum irrogatione notandum) omni gaudii nota, ac ob id nunquam spectabit ipse, quando coercitionis res est, sed aliis potius id delegabit. Est enim inhumana voluptas & neuti-



quam conveniens Principi, latari ad spectu suppliciorum, funera & cædes haurire oculis, a videque contemplari sub gladio carnificis, sub acie ferri, tremebundam moribundi cervicem. *Baud. Orat. ad studios. tumult.* Nero, portentum illud, & fatale malum generis humani, qui nullum scelus in ausum atque intentatum reliquit, unde manum abstineret, oculos tamen subtraxit, jussitque scelera, non spectavit. *Tacit. Agric. 45.* Laudatur igitur nec immerito Bassianus (postea Anton. Caracalla dictus) adhuc puer *Spartiano*, qui si quando feris objectos damnatos vidit, flevit aut oculos avertit; quod plebi fuit peramabile. Neque atro oblivionis calculo exputandum Vespasiani hac in parte encomium, qui neque cæde cujusquam latatus unquam, justis suppliciis illacrymavit etiam & ingemuit. *Sueton. ejus vit. c. 15.* Quos Principes laudatissimos nisi imitandos elegerit quis reip. moderator, id assequetur, ut quanquam adversus fontes & novissima exempla meritos, miseratio oriatur, tanquam non utilitate publica, sed in sævitiam unius absumerentur. *Tacit. 15 Annal. 44.* Plerique enim mortales postrema meminere, & in hominibus impiis, sceleris illorum obliti, de pœna differunt, si ea paullo severior fuerit. *Sallust. Catilin. c. 51.*

XXXIV. (4) Ira maximè prohibenda est in puniendo cum qua nihil rectè fieri, nihil consideratè potest. *Cic. 1. offic. n. 130.* Nunquam enim iratus qui accedet ad pœnam mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium & parum *ibid. n. 89.* Unde Seneca *1. de irac. 15.* monet Principem, procedat in tribunal, non furens, nec infestus, sed vultu legis: & illa solennia verba, severa magis gravique, quam rabida voce concipiat, & agi jubeat non iratus, sed severus. Et cum cervicem noxio præcidi imperabit, & cum parricidam insuet culleo, & cum mittet in supplicium mili-

milite, & cum Tarpejo proditorem hostemque publicum imponet, sine irâ, eo vultu animoque sit, quo serpentes & animalia venenata percutimus. Etenim juxta sententiam Claud. *Panegy. Malliano.*

—— Dis proximus ille est

Quem ratio non ira movet, qui facta rependens  
Consilio punire potest.

XXXV. (5) Dici satis non potest, quanto opere omnium animi à Principe abalienentur, si non contentus usitatis receptisque in patria suppliciis, nova exquirat & inaudita. Sit documento Tullus Hostilius, qui parum memorilegum humanarum supplicio, quo Metium Suffetium religatum inter duos currus pernicipibus equis distraxit, effecit ut averterent omnes à tanta foeditate spectaculi oculos. *Liv. 1, 28.*

XXXVI. (6) **Æquabiles** sint pœnæ. Nihil enim justitiæ magis est contrarium quam censura illa, quæ dat veniam corvis, vexat columbas: & qua (*verba sunt Cic. 1. Offic. n. 89.*) iisdem de causis alii plectuntur, alii ne appellantur quidem. Excipetamen primò **Nobiles**. Allegationem enim natalium & majorum nobilitatis solere in causa esse favorabilem, *Clariss. Dn. Præses ostendit ad Sueton. August. 5, 2, m.* Nec immerito. Nam videmus & à Medicis quanquam in adversa valetudine nihil servi à liberis differant, mollius tamen liberos clementiusque tractari *Plin. lib. 8. epist. ult.* Adde hac ratione cæteros ad virtutem & veræ nobilitatis studium inflammatum iri, cum intelligent, præmia virtutis clarorum virorum ac benè de rep. meritorum etiam mortuorum ad posteritatem infinita permanare. *Bodin. 6. de rep. c. 6.* Hinc *Ovid. Heroid. Epist. 4.*

—— miserere priorum

Et mihi si non vis parcere parce meis.



& Seneca *lib. 4. de benefic. c. 3.* Hic egregiis majoribus ortus est, qualiscunque est sub umbra majorum suorum lateat. Ut loca sordida repercussu solis illustrantur: ita inertes majorum suorum luce resplendeant. Assentiuntur his Imp. Honorius & Theodos. *l. 4. C. qua res venir. non possunt.* Deinde Juniores. Nam etiam ætati juvenili peccanti plusculum indulgeri debere, probatur iterum in *Notis Excellentiss. Dn. Præsidis ad Sueton. August. 5, 2. l.* Datur concessu omnium huic aliquis ludus ætati; & ipsa natura profundit adolescentiæ cupiditates. Cicero pro *M. Cælio n. 28.* Quare Sabinis apud *Livium l. 2. c. 18.* orantibus Romanos ut veniam erroris adolescentibus hominibus darent, responsum: ignosci adolescentibus posse, senibus non posse. Cæsar quoque apud *Lucan. l. 9. vers. 1087.*

—— Sed parcimus annis

Donamusque nefas.

Quinetiam J. C. tus *l. 14. in fin. ff. de re militar.* tyroni alienanti arma, facilius quàm veterano militi parcendum esse censet.

XXXVII. Denique avertet, aut ad minimū molliet Princeps odium subjectorum puniendo rerum atrocium ministros, *Tacit. 13. Annal. 43.* sic eos crudelius, quàm par erat, jussu exsecutos constiterit. Ita exiguus sanguis.

—— invidiosa solatia

dabit, ut loquitur Juvenalis *Satyr. 13.* & lætabuntur recidisse iram in iræ ministros, nec ullam potentiam scelere quæsitam cuiquam esse diuturnam. *Curt. 10, 1.*

XXXVIII. Hactenus vulgaribus suppliciis sævitæ maculam deterimus: Quid vero si illustris aliquis & vulgo insigniter gratus extrema meruerit? Hic unanimi omnium melioris commatis Politicorum consensu suademus, ut Princeps aut omnem prorsus offensam tali condonet,

condonet, aut absque cunctatione supplicium sumendum decernat. Si tamen hoc consilium præ altero probaverit, talem eodem in carcere custodiri, puniri & sepeliri consultum est. Quippe plebejorum suppliciis aliorum audacia terretur, illustrium hominum cæde accenditur. Unde Albani Ducis imprudentiam arguunt, quod Egmondanum & Hormanum medio in foro & in conspectu populi, qui illo stant opere amabat, capite multare sustinuit. *Forstnerus ad Tacit. 2. Annal. 5.* Quanto prudentius Cicero Lentulo cum reliquis conjurationis conscis, in carcerem undique parietibus, atque insuper camerâ fornicibus junctâ, munitum: nec non incultu, tenebris, foedum atque terribilem, dimisso vindices rerum capitalium laqueo gulam frangere præcepit. *Sallust. Catil. c. 55.*

XXXIX. At in peccato communi ubi nimirum totus, ut loquitur *Senec. 2. de ira c. 10,* exercitus deliquit, dum modo ei aliquid adfuerit prætextus justus, vel quasi, nec tam deliberato cuncta facta sunt, quàm impetu aut alio quo animi morbo; veniam det omnibus; sin minus, penè omnibus. *Gruterus ad Tacit. discursu. 18.* cuius sententiæ subscribere jubet *Lucan. lib. 5.* quando canit:

—— Quippe ipsa metus exolverat audax

Turba suos. Quicquid multis peccatur inultum est. & *Vegetius de re milit. l. 3. c. 4.* quod si medicinam fieri, iniquiens, necessitas extrema persuaserit, rectius est more majorum, in auctores criminum vindicari: ut ad omnes metus, ad paucos pœna perveniat. Nullum enim ornamentum Principis fastigio dignius pulchriusque est, quàm illa corona OB CIVES SERVATOS. *Senec. 1. de Clem. 26. f.*

XL. Diximus supra propos. XIII. TRIBUTORUM immoderatam exactionem Principem Avaritiæ insimulare, populoque invisum reddere, operæ pretium

D

est



est itaque horum leniendorum præcepta aliquot depro-  
mere. *Primum* igitur opera danda est, ut omnes intelli-  
gant, si salvi esse velint, necessitati parendum esse. *Cic. 2. of-  
fic. n. 74.* Cum nec quies gentium sine armis, nec arma sine  
stipendiis, nec stipendia sine Tributis haberi queant. *Tacit.  
4. Hist. 74.* Unde *Ulpian. l. 1. §. 20. ff. de questionibus*, in tri-  
butis esse reip. nervos, ait. & *Imp. Novell. 169. c. 2.* Impossibi-  
le est ut sacris tributis non illatis, alioqui resp. conservetur.  
Nec aliter *Barclai. Satyr. parte 5.* Aurum in rep. idem est  
quod in humano corpore vitalis spiritus, quo cum sangui-  
ne egesto membra omnia in mortem patent. Certo itaque  
certius est dissolutionem imperii subsequituram, si fructus  
quibus resp. continetur, vel prorsus deminuantur, vel ne-  
cessitate imperante interdum non augeantur. Semper e-  
nim maximopere providendum, ut ratio quæstum & ne-  
cessitas erogationum inter se congruant. *Tacit. 13. Annal. 50.*

XLI. Quod si autem expers communium curarum  
populus parte aliqua suorum fructuum pacem sibi sempi-  
ternam atque otium redimere abnuerit; Themistoclis, qui  
ad Andrios pecuniæ causa legatus duobus diis comita-  
tum se dixerat, Suadâ & Violentiâ, *Plutarch. in ejus vit.* ve-  
stigiis insistat Princeps,

Precibusque minas regaliter addat.

Semper tamē gloriosius existimet impetrare aliquid, quam  
imperare *Lips. 4. Polit. 11.* Quid si etiam facilius? Nam ut *O-  
venus Monestich. Ethico. Polit. 105.* canit:

Nil tam difficile est, quod non persuadeat, & non

Efficiat docti lingua disertæ senis.

Præsertim cum suasio ab eo qui jubere potest, vim necessi-  
tatis adferat *Tacit. 14. Annal. 15.* quemadmodum de Vitel-  
lianis militiam & stipendia orantibus inquit idem auctor  
*4. Histor. 46:* preces erant, sed quibus contradici non pos-  
set.

set. Sed neque illud omittendum, quod monet Soto *de  
just. & jure l. 3. q. 6. a. 7.* evanescente tributis causa, tollen-  
dum esse ipsum tributum, quia cessante causâ cessat effe-  
ctus.

XLII. Deinde Moderatio adhibenda, & sedulo  
præcavendum ne (1.) grandia nimis jubeantur, sed  
modica, pro copia sive angustia rerum; neve res auferatur  
cum pulvisculo ut *Plaut. ait Trucul. prolog.* aut ut Germa-  
nicum sonat proverbium, *den Seckl mit dem Gelde.* Ne-  
que video quid ignominiosius de Principe dici queat,  
quàm si ærarium illius spoliarium civium, cruentarum-  
que prædaram sævum receptaculum (*Plin. Panegy. c. 36.*) au-  
diat. Longè præclarius Tiberius, Præsidibus oneranda tri-  
buto provincias suadentibus rescripsit, boni pastoris esse  
tendere pecus, non deglubere. *Sueton. in ejus vita c. 32. f.*  
Aversabitur igitur Princeps noster eorum consilia, qui pen-  
nas ita incidi jubent, ut renasci nequeant. *Cic. 4. ad Atticum  
Epist. 2.* Horum enim monita si capeffet, pacē subditi exue-  
te coartabuntur, ejus magis avaritiâ, quàm obsequii impa-  
tientes *Tacit. 4. Annal. 72.*

XLIII. Sed neq; (2) Sordida, cujusmodi fuit tur-  
pissimum Vespasiani vectigal urinarium *Sueton. in ejus vit.  
c. 23.* item Caligulæ, qui, ut iterum *Sueton. Cal. c. 40.* testis est,  
ex gerulorum diurnis quæstibus partem octavam exegit, ex  
capturis prostitutarum quantum quæque uno concubitu  
mereret; aut ut *Margarethæ Sueciæ & Daniæ Reginæ,* quàm  
pro quavis jumenti cauda vectigal cepisse auctor est *Joan.  
Magnus hist. Sueon. & Gothorum lib. 21. c. 19.*

XLIV. Multo minus (3.) approbandum, si vel  
per **Delationes** opulentissimus quisque in prædam  
corripiatur *Tacit. 2. Hist. 84.* quod nimium quantum into-



lerabile, uti ex eodem Tacit. 3. *Annal.* 25. liquet, quando ait: Multitudo periclitantiū gliscēbat, cum omnes domus delatorū interpretationibus subverterentur: vel **Majestatis** (subsidiario cū alia, deficiunt crimine *Clariss. Dn. Frinshemius Panegy.*) postulentur multi. Cui non absimile videtur Pontificium fulmen, sive inquisitio illa, quam rectissimè cum Tacito 3. *Annal.* 38. omnium accusationum complementum dixeris: & quam *Guiciard.* vocat sacra, sive sceleritia arma: *Scafnenburgensis* autem Apostolicæ auctoritatis virgam. teste *Clapmar. lib. 5. de arcan. Rerump. c. 16.*

XLV. Neque (4.) Subinde Provinciæ **NOVIS** oneribus sunt turbandæ *Tacit. 4. Annal.* 6. aut novi sinus & variapradandi vocabula exquirenda *idem 4. Hist.* 14. In veteratum hoc malum, dum speciosis nominibus venena ista teguntur, quibus minus vetus imperii ærarium, quàm paucorum, qui malè sub Regibus regnant, polluentur arcæ: qui falsis titulis suam crudelitatem, avaritiam, rapinas; remedia; subsidia, vectigalia & erogationes vocant: nota publicanum cladium nomina. *Barclai. Satyr. part. 5.*

XLVI. At Princeps noster (quod Tertio hic notandum) ut vetera sine avaritia aut crudelitate magistratuum tolerantur, potius providebit *Tacit. 4. Annal.* 6. Plerique enim id genus ministrorum felibus sunt rapaciores, doctiq; prædam in sinum suum conferre. *Lamprid. Commod. c. 5.* & præter imperatas pecunias commodo suo servire. *Cæsar. lib. 3. de bello civili.*

XLVII. Servandi itaque frænandique sunt diligentia, qua licebit, maximâ laverniones ejusmodi, id quod Princeps facilimè hac assequetur via, si cum pœna talionis officio eos amoverit. Ereptum alienas pecunias eunt; perdant quas habent *Plin. Panegy. c. 35.* Quomodo Imp. Vespasia-

spasianus procuratorum rapacissimis quibusque vulgo pro spongiis dicebatur uti, quod quasi & siccos madefaceret, & exprimeret humentes. *Sueton. in ejus vita c. 16.* Quamquam omnium seculorum experientia abunde testatum faciat plerumque magis alios homines quàm alios mores succedere. *Tacit. 2. Histor. c. 97.* **Es kompt selten etwas besers hernach.** haud secus atque de Principibus ait Curtius *apud Tacit. 4. Hist.* 42. An Neronem extremum dominorum putatis? idem crediderant, qui Tiberio, qui Cajo superstites fuerunt: cum interim instabilior & sævior exortus est.

XLVIII. Illud quoque hic prospiciendum ne imiquæstores exigendis à populo tributis præfiantur; & nec ipsi privatorum limina circumeant, nec missis licitoribus pignora capiant, divexentque oppidanos. Ipsorum concivium sit hoc munus; qui ex suo corpore eligant per quos pecunia cogeretur humanius; hanc singula oppida ad Prætores suum ferant; inde vel Præfecto provinciæ numeretur, vel si Regi placebit, inferatur ærario. Si quis enim privatus detrectet, aut moretur; per suos hunc cives, per assuetos magistratus, notosque lictores, præstat ad solutionem adigi; quàm inhumano fastu quæstorum, qui cum exactoribus suis, brevem moram egenis interdum crudeliter vendunt; meliusque prædati nunquam eunt; quàm cum in vexatis laribus; & in quibus vix tantum est quod tributo sufficiat; sibi quoque spolia illato terrore inveniunt. *Barcl. Argenid. lib. 3.* Sicque miseri subditi (quod de Frisiis tradit *Tacit. 4. Annal.* 72.) primò boves; mox agros; postremò corpora conjugum aut liberorum, servitio tradere coguntur. Unde ira & questus, & postquam non subvenitur, remedium ex bello.

XLIX. Quarto nemo exiguum in publicum ex-



penfam gravabitur, si principem boni patrisfamiliâs instar  
parcè & ex usu tributa dispensare, & tanquam publicæ pe-  
cuniæ custodem, non ut suæ dominum, se gerere (*Arist. 5.*  
*Polit. 11.*) deprehenderit, videritque sobriè ac continenter  
viventem ac nihil vanè effundentem *Dio lib. 52.* Cavebit  
itaque cum Nerone divitiarum & pecuniæ fructum non a-  
lium putare quàm profusionem. *Sueton. in ejus vit. c. 30.* aut  
cum Vitellio solà perdendi curà, tanquam in summa ab-  
undantiâ pecuniæ illudere. *Tacit. 2. Hist. 94.* Multo minus  
in scurras, mimos, histriones, adulteros, scorta, abjiciet.  
Quin potius omnia hæc hominum genera tanquam tur-  
pissima amicitiarum dehonestamenta, & reip. pestes, fu-  
giet tolletque. Ducet autem gloriosum cum Galba aliè-  
næ pecuniæ non appetentem, suæ parcum, publicæ avarum  
*Tacit. 1. Hist. 49.* dici. Quomodo etiam Titius, amor ac de-  
litiæ generis humani, nulli civium quidquam ademit, ab-  
stinuit alieno ut si quis nunquam: ac ne concessas quidem  
ac solitas collationes recepit, & tamen nemine ante se ma-  
gnificentia minor. *Sueton. ejus vit. c. 7.* Magnum enim ve-  
stigal parsimonia, *Cic. Paradox. 6.* & ex omnibus lucris, re-  
ditibus, ac tributis nullum copiosius est, nullum justius,  
quàm parsimonia. *Amirat. l. 3. discurs. 8.*

Si recte frueris, non est ut copia major

A Jove donari possit tibi

L. *Ultimum*, quod circa Tributa observandum, est  
Æqualitas. *hoc est*, ut justa & uniformis contributio sit, nec  
per bonam malamve gratiam hunc subleves, illum pre-  
mas. *Lips. 4. Polit. 11.* Sicut omnibus in hac vita positus ac  
locatis communis est cœli spiritus, lux diei: ita elementiam  
maximi Principis sentiant vota cunctorum *Symmach. lib. 9.*  
*epist. 1.* A Equum itaque est, neminem subditorum, neque  
privatum hominem, neque populum, à vestigalibus im-  
munem

munem esse, cum ad omnes ex æquo utilitas eorum, in  
quæ insuntur, redeat. *Mecenas apud Dionem lib. 52. orat.*  
*ad Augustum.* Nam si alia aliorum sit conditio, accenditur  
discordia, *Livius 2, 29.* & non eodem honore habitus, pari do-  
lore commoda aliena ac suas injurias metiuntur *Tacit. 1.*  
*Hist. 8.* è contra verò, haud facile quis tributis impositionem  
ægrè tulerit, si neminem alium præterea exemptum intuea-  
tur *Novell. 43. c. 1. §. 1.* Cum Senatus Romanus clade Can-  
nensi afflictâ Rep. exhausto que ærario opes suas in me-  
dium libens contulisset, statim eques secutus exemplum,  
imitataque equitem tribus. *Flor. 2, 6, 25.* ita apud *Livium 4,*  
*60.* quum Senatus summa fide ex censu contulisset, certa-  
men conferendi est ortum. At ubi superiores publicas  
necessitates subditorum tantum opibus propellunt, suas  
inde eximunt, aut quod iniquius est, fieri tamen alibi so-  
let, augent: quo putemus animo tolerari aut conferri sum-  
ptus istos? *Clarissimus Dn. Freinshemius in notis ad Flor. 2, 6,*  
*25. f.* Quemadmodum *Bodin. lib. 6. de rep. c. 2.* queritur,  
in Gallia tria hominum genera, Sacerdotes, Nobiles ac  
Magistratus ferè omnes, omnia tributa in miseros opifices  
& aratores rejicere.

LI. Ut autem æqualitatis commoda haberi pos-  
sit ratio, **census**, res saluberrima magno imperio, *Liv.*  
*1, 42.* instituendus est; curandumque ut omnia patrimo-  
nii, dignitatis, ætatis, artium officiorumque discrimina in  
Tabulas referantur, quemadmodum *Servium Tullium* or-  
dinasse accepimus. *Flor. 1, 6, 3.* Sic in dites à pauperibus in-  
clinari poterunt onera. *Livius 1, 43.* Nihil enim iniquius  
æqualitate illâ cum non ex censu tributa, sed capitibus in-  
dicuntur, *Clarissim. & Excellentiss. Dn. Præses in not. ad Sueton.*  
*August. 25, 3. h.*

LII. *Ultimum*, quod ab odio Subditorum imune  
præ-



præstare sedet, est CENSURA, de qua non adeo multa notanda incumbunt, quando eam (heu ævi dedecus! *Lips. 4. Polit. 11.*) adeo oblivione absoletam videmus, ut non modo ubique gentium ferè non colatur, sed etiam penitus ignoretur; cum tamen eam omisam, historicorum antesignanus ille, & prudentiæ pater, *Tacit. 3. Annal. 54* funditus remp. trahere doceat. Quia vero ejus usurpandæ modum egregiè ostendunt *Lips. lib. 4. Polit. 11. Arnise. Doctr. Polit. lib. 1. c. 15. Bodin. 6. de Rep. c. 1. & alii;* ærenos nostro exsoluturos speramus, si de mitiganda pauca differuerimus.

LIII. *Primum* igitur, quisquis es Principum, aureo Lævini consilio morem faceras. Sic autem ille *apud Liv. 26, 36.* Si quid injungere inferiori velis, id prius in te actuos si ipse juris statueris, facilius omnes obedienteshabeas. Et *Claudianus:*

In commune jubes si quid, censesve tenendum

Primus jussa subi.

Flexibiles enim quamcunque in partem ducimur à Principe: atque, ut ita dicam, sequaces sumus: huic cari, huic probati esse cupimus: quod frustra speraverint dissimiles Hinc vita Principis censura est: eaque perpetua, ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur. *Plin. Panegy. c. 45.* Atque ob id Lycurgus nihil lege ulla in alios sanxit, cujus non ipse primùm in se documenta daret. *Justin. 3, 2, 8.* & eum imitatus Severus: Cæcina legem laturus, ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur; multum antè repetiit, se, quæ in publicum statueret, domi servavisse. *Tacit. 3. Annal. 33.*

LIV. *Deinde*, quum non possit quisquam nostrum subito fingi, neque cujusquam repente vita mutari, aut natura converti, *Cic. pro Sylla n. 69* constituit bonos mores civitati Princeps, & vitia ejus feliciter compescit, si patiens eorum

eorum est: non tanquam probet; sed tanquam invitus. *Senec. 1. de Clem. 22.* adeoque tutius meliusque ubi jam multum mali, paulatim pati emendare & ad frugem se recipere; quàm acerbis poenis concitare. Ut in humano corpore vitiosi humores non impetu purgantur, nisi cum periculo: ita in rep. *Lipsius not. 444. ad Plin. Panegy.* Nam ut Latinus Pacatus *in Panegy.* ait: quiescentibus legum minis subit quemque privatim sui poenitentia. Caitigaverunt sua vitia ipsi, docet *Plin. d. l.* qui castigari merebantur: iidemque emendatores, qui emendandi fuerunt. Unde Tiberius populum per tot annos molliter habitum, non audebat mox ad duriora vertere, uti de eo memoriæ commendat *Tacitus 1. Annal. 54.* consultumque duxit, omittere potius prævalida & adulta vitia, quàm hoc adsequi, ut palam fieret quibus flagitiis impares essemus. *Tacit. 3. Annal. 53.* præsertim cum quosdam pudor, alios necessitas, nonnullos fatias in melius mutet. *ibid. c. 54.*

LV. *Denique* præmiis ornandi sunt boni. Quis enim censebit nisi virtutis amore asperum Principem, cum tam benignum viderit in eos qui habent illam? *Lips. lib. 4. Polit. 11.* Sapienter profecto & præclare Cato civibus auferri studium honesti ait, quoties virtus præmiis viduatur. Neque enim ea vulgo virtus haberi solet, cui non emolumentum honosque ancillantur. *Frederic. de Marselar lib. 2. de Legato dissert. 48.* Quippe gloriâ industria alitur: ubi eam dempseris ipsa per se virtus amara atque aspera est. *Salust. Orat. 2. ad Casar. de rep. ordin.* Hinc videmus ubique eo impendi laborem ac periculum unde honos atque emolumentum speretur: nihilque non aggressuros homines si magna conatis magna præmia proponantur. *Liv. 4, 35.* Verissima sunt quæ extant apud *Euripid. Hecub. act. 2:*

In hoc multa pereunt respublicæ


E

Cum



Cum, qui bonum & strenuum præbet virum,  
Nihil plus quam ignavus fert præmii.  
Nemini igitur Princeps noster fraudi esse sinat strenuam  
honestati operam navasse; neu patiatur, dum ipse summæ  
rei præest, ut sit benefactis tantum ex conscientia merces.  
*Plin. Panegy. c. 44.*

Atque hæc sunt, quæ per ingenii tenuitatem de ODI  
SUBDITORUM ADVERSUS PRINCIPEM è probatissimis au-  
ctoribus colligere licuit. Si quæ, ut juveni perfectæ rerum  
politicarum cognitionis experti facilimè evenire potuit,  
minus aptè sunt adhibita, ea ut candidus Lector, pro sua  
humanitate, meliorem in partem interpretari dignetur,  
enixissimè oro, cogitetque neminem à tristi illo mortalita-  
tis privilegio, ut liceat aliquando peccare, liberum esse,  
me autem illum, qui & moneri & doceri promptus sim  
vel à quolibet. Jam tandem Soli sapienti DEO  
Servatori nostro, gloria esto & magnificentia, nunc  
& in omnia secula. AMEN.



## DN. RESPONDENTI.

### I.

**M**OSLEHNERE decus parentis ora,  
Tu nec difficiles habere nugas,  
Aut magno nihil actitare nisu  
Conaris; licet usque & usque posses  
In scirpo tenuem invenire nodum:  
Sed carum bene collocando tempus,

Artes

Artes excolis utiles bonasque,  
Parentesque mones & Imperantes  
Quæis possint rationibus quietam,  
Securamque mali, & boni refertam  
Venari simul, & tenere, vitam.  
Maeste hoc egregio labore, maeste!  
Nec te quicquid ubique Barbarorum est,  
Tantillum moveant ab hocce cursu,  
Quo vitam reliquis beatiorem,  
Beatam tibi, reddis, & perennem.  
Quid queris? tibi premium laboris  
Artes quas colis utiles bonæque,  
Parentesque dabunt & Imperantes.

*Amicitia causa f.*

JOANNES FREINSHEMIUS.

### II.

**C**ur opus hoc lepidum verborum condere pompâ  
Coner? ego doctis hæc memoranda sinam:  
Existam præco tantum Virtutis avitæ  
MOSLEHNERE tuæ, semper & ingenii.

*L. Mq.*

Charissimo suo commensali gratulationis:  
ergo adposuit

HIERONYMUS HAIDT,  
Viennâ-Austrius.

### III.

**E**st amor hoc mundo prior & pretiosior amplo,  
Nam DEUS æternus fecit amore chaos.  
Fecit amore fovet quæ cuncta animantia, Terram,  
Terram qui lustret fecit amore Polum.

E 2

Fecit



Fecit amore hominem; damnatum Christus amore  
Salvat; Cælestis status amore beat.  
Singula amore vigent. feliciter omnia amore  
Succedunt: orbem hunc temperat unus amor.  
Felix est regimen Princeps quod amore gubernat:  
Felix Rex quem gens subdita amore colit  
Non Regem miles, non arma furentia tutum  
Prestant: sed solus prestat amor populi.  
Id tua præclarè dat Differtatio plena  
Artibus Imperii, dulcis Amice, bonis.  
Tu Regi monstras artem prudenter amandi  
Subiectos, causas qui memoras odii.  
Tu Regem formas quo delectetur Jova,  
Ferreæ quemq; diu tempora nostra rogent.  
Cætera nunc vacat haud tua dicere munera, Amice  
Ingenii; tibi sed vota vovere lubet.  
Vive decus Patria! Musarum bella corona  
Vive! pius chari vive Parentis Amor!

Amoris ergo f.

SAMUEL SCHREIBER.



IV.

**M**OSLEHNERE, boni soboles præclara Parentis  
Quem pietas, virtus Musa que mitis amant.  
Ille vetus pro te fidusque quod optat Amicus,  
Accipe, & hæc animo vota favente tene:  
Fixum ut sit studium, nec te mutabilis ætas  
In nisus alios cœpta que multa ferat.  
Consilium dulcis cupiat tua terra salubre:  
Tu potes & Patriæ & Principis esse decus.

Fautori & Amico suo certissimo gratulabundus f.

JOANNES KEMPIUS.

F I N I S.